DE
EO QVOD IVSTVM EST
CIRCA
RESTITVTIONEM
MVTVI
MVTATA MONETAE
BONITATE,

DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA.

QVAM
IN PERANTIQVA VNIVERSITATE ERFORDIENSI
EX DECRETO ET AVCTORITATE
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
PRAESIDE
D. HENRICO MELCHIORE SCHÜTTENIO, ICTO,
FACVLTATIS IVRID. ET PHILOS. ADSESSORE, NEC NON POLITICES PROF. PVBL. ORDINAR.
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS CONSEQVENDIS,
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPONIT
ABRAH. GOTTLOB TZSCHIRNERVS,
Lipsiensis,
AVCTOR ET RESPONDENS.

IN AVDITORIO IVRIDICO COLLEGII MAIORIS
DIE XIII. IANVAR. A. M DCC XXXVIII.

ERFORDIAE, Litteris HERINGII, Acad. Typogr.

EX eo tempore, quo diuersi Status imperii reductionem valoris monetarum contra ordinationes imperii cusarum, ita, vt iustam bonitatem & quantitatem in ordinationibus imperii monetalibus requisitam non haberent, susceperunt, multa hinc in Imperio litigia orta sunt inter creditores & debitores, circa praestandam solutionem, debitoribus eam secundum aestimationem monetae, prouti nunc valet, praestare volentibus, creditoribus autem contradicentibus, & vrgentibus solutionem secundum aestimationem, quae fuit tempore contractus. Operae igitur pretium erit, si temporis praesentis rationem habiturus, argumentum hoc rationibus legalibus sub in-

cudem reuocem, atque veriorem sententiam comprobem. Quod vt ex voto & bene eueniat, DEVM propitium supplex exoro.

§. I.

Non opus erit singulorum vocabulorum in rubro dissertationis positorum enucleationem suscipere, quoniam cuilibet illorum intellectus facile patebit, instituti tamen ratio postulat, vt generaliora quaedam, sicuti moribus academicarum dissertationum inualuit, de mutuo & moneta praemittam, ita quidem, vt primum omnium definitionem mutui tradam. Est autem mutuum contractus realis, quo res fungibilis ita alteri datur, vt eadem in genere restituatur.

§. II.

Mutuum vulgo solet diuidi in naturale, ciuile, & mixtum. Naturale vocant, quod contrahitur ipsa naturali pecuniae numeratione, ciuile, vbi quis spe futurae numerationis pecuniam accepisse confessus est, quam reuera non accepit, mixtum vocant, vbi vel alius meo nomine

mine numerat pecuniam, vel quum ante, aut post numerationem stipulatio interponitur, vid. STRVV. *S. I. C. Ex. 16. th. 6.* Nihilominus ipse STRVVIVS loc. cit. vna cum LAVTERBACHIO *in compendio iuris p. m. 166.* hanc diuisionem reiicit, idque non sine solida ratione, ciuile enim quod vocant, est peculiaris contractus chirographarius, mixtum vero, si alius meo nomine pecuniam numerat, non constituit nouam mutui speciem, quod enim per alium quis facit, per se fecisse putandus est, sed si stipulatio vel antecessit, vel consequuta est, ad mutuum plane referri nequit. Idem iudicium esto de mutuo vero & praesumto. Praesumtum enim mutuum itidem in fundamento oppido infirmo innititur.

§. III.

Vt mutuum subsistere possit, ad formam substantialem requiritur, 1) vt daturus mutuum habeat dominium rei fungibilis *l. 2. D. d. R. C.* 2) vt gaudeat libera rerum administratione, constat enim mutuum a pupillis celebratum non valere, ita, vt res interea consum-

ta condictione ſine cauſa repetatur, *l. 19. §. 1. D. d. R. C.* 3) vt accipiens ſe obligare poſſit, nec mutuum accipere prohibeatur, quae obligatio deficit in filiofamilias, vtpote cui SCtum datur Macedonianum 4) vt res alteri tradatur fungibilis. Dicuntur vero res fungibiles, quae numero, pondere, & menſura conſtant, atque hoc modo in commercium veniunt, res fungibilis mutuo danda eſt, vt fungibilis: conſtat enim rem fungibilem etiam vt certam ſpeciem dari poſſe, conf. THOMASIVS *diſſert. de pret. adfect. in res fungibiles non cad. cap. 1. §. 16. ſqq.* 5) vt res tradatur ex certa ſcientia, ita, vt adſit traditio vera, vel ficta, ſiquidem ſufficit, ſi tertius pecuniam meo nomine dedit *l. 15. D. d. R. C.* denique 6) requiritur, vt accipiens ſe obliget ad rem fungibilem in genere reſtituendam, haec vera eſt differentia, quae intercedit inter contractum vitalitium, & mutuum, in vitalitio morte creditoris ſors perit, & hanc ob cauſam creditores iuſto maiores vſuras accipere poſſunt, vid. STRYCKIVS *de caut. Contr. ſect. 2. cap. 1. §. 33.* licet infi-

inficias ire non poſſim per accidens quandoque fieri poſſe, vt res in contractu mutui in ſpecie reſtituatur. Haec igitur requiſita ſi mutuum habeat, valebit omnino, ita, vt producat condictionem certi ex mutuo, quae competit creditori aduerſus debitorem, ad praeſtandum, quod in obligatione continetur.

§. IV.

Promiſſi memor, etiam generalia quaedam de moneta eiusque bonitate cum intrinſeca, tum extrinſeca dicturus ero. Monetam PAVLVS *in l. 1. D. de contrah. emt.* definit per materiam forma publica cuſam, vſum non tam ex ſubſtantia praebentem, quam ex quantitate. Mihi vero ſatis commode deſcribi illam poſſe videtur per materiam, quae ab illo, qui iure cudendae monetae gaudet, cuſa & adprobata eſt, vt aliarum rerum pretii menſura exſiſtat, & commerciis inſeruiat.

§. V.

Moneta vero, vt valorem a ſuperiore inditum conſequatur, bona eſſe debet, ſeu debet ita eſſe comparata, vt id contineat in quantitate

te

te & qualitate, quod ipsi est adsignatum. Intrinseca bonitas monetae vocatur, quae consistit in pondere iusto, materia iusta & legitima forma. Mutatur autem bonitas intrinseca, si pecunia magis aere contaminetur, quam iustum est, *wenn Schrot und Korn an der Müntze gemindert wird*, *conf.* SIXTIN. *d. Regal. lib. 2. cap 7. num. 152.* Extrinseca bonitas monetae adpellatur, quae in valore consistit, mutatur vero extrinseca bonitas, quando e. g. valor monetae minuitur, non enim est vniformis ac constans in Imperio Romano Germanico valor monetae, sed alius atque alius communi hominum vsu & commercio frequentatur, id quod plerumque ab inuitis principibus extorquet infelicitas temporum, atque necessitas commerciorum, quam promiscui vsus vtilitatem vocat PAVLVS *in l. 17. §. 1. D. de inst. act.*

§. VI.

Ius cudendi monetam nemini, nisi ei, cui summa in republica potestas competit, concedendum est, cum rei publicae intersit, vt moneta iusta, & publica forma notata cudatur,

tur, qualem ex priuatorum officinis vix ſperare licet. Sed quamuis aurum, argentum, ceteraque metalla in priuatorum ſint commercio, poſtquam tamen publica auctoritate definitus caracter ſemel impreſſus eſt, pretium ex ciuium arbitrio & voluntate non pendet, ſed vti ius cudendae, ita & aeſtimandae monetae, ſummi imperantis eſt, & ſupremam refert Principis poteſtatem, tradente ZIGLERO *de iur. Maieſt. lib. 1. cap. 49. §. 8.* In imperio noſtro Romano Germanico, qui ſuperioritate territoriali gaudent, regulariter ſolum hoc iure vtuntur, vid. perilluſtris de BVNAV *comment. iur. Publ. d. iur. circa rem monetar. in Germania.*

§. VII.

Quoniam autem moneta pro corrupta huius ſaeculi conſuetudine multis mutationibus obnoxia eſt, hinc graues oriuntur lites, cuius qualitatis vel bonitatis nummi ſint reſtituendi, verum tamen hanc quaeſtionem clare decidit *pr. Inſt. quib. mod. re contrah. obligat.* ex quo clarum eſt, de eſſentia mutui eſſe, vt res eiusdem generis reddatur, quod etiam comprobat *l. 2. D. de R.*

C. ita, vt ſi pro oleo vinum, aut pro pecunia frumentum redderetur, non mutuum, ſed permutatio celebrata ſit. Quum igitur luculenter ſatis probatum ſit, mutui reſtitutionem in eadem bonitate eſſe de natura huius contractus, id quod in dubio ſemper inter contrahentes videtur conuentum, reſtitutio mutui ſecundum valorem & aeſtimationem monetae, quae fuit tempore contractus & obligationis, fieri debet, ſiue moneta fuerit in bonitate extrinſeca, mutata ſiue intrinſeca, quod ipſum naturali aequitati per quam conforme eſt, dum hac ratione neque creditor, neque debitor laeditur, creditor enim minus quam dedit, non recipit, nec plus petere debet, debitor vero plus, quam accepit, non ſoluit, nec minus reddere tenetur, *l. 3. D. de R. C.* ex quo conſequitur, neutrum cum alterius damno fieri locupletiorem.

§. VIII.

Vt veritas huius ſententiae eo magis pateat, conſideremus eam ſecundum vulgatum philoſophorum canonem: oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt, & fingamus tempus con-

contractus non adtendi circa restitutionem mutui, in casu mutatae monetae, tunc profecto maxima laesio non minus ex parte creditoris, quam ex parte debitoris exinde emergeret: Creditor laesionem sentiret, si in deteriori moneta, vel minori valore, mutuo datam pecuniam accipere cogeretur; debitor vero laederetur quum duplici onere, vsurarum nimirum praestandarum, & deinde augmenti in moneta supplendi grauaretur, quod vtique dispositioni iuris & ciuilis & naturalis, contrariatur. add. GAIL. *lib. 2 obs. 73. n 2. seqq.*

§. IX.

Hoc tamen obseruatu dignum est, quod si mutatio monetae quoad bonitatem intrinsecam facta fuerit, tunc moneta aucta debitor additamentum detrahere possit, ea vero deminuta, supplere teneatur, tradente BERLICH. *part. 2. conclus. 35. num. 37.* Bonitas enim intrinseca monetae soluendae, quae fuit tempore contractus, est spectanda, ita, vt commodum pariter atque incommodum sit debitoris, non enim creditor aut lucrum, aut damnum vllum sentire debet ex solutione sibi facta, sed

illud ipſum neceſſario conſequi, quod reuera debetur, fac. *l. 99. D. de ſolut.*

§. X.

Huic quidem opinioni obſtare videtur, quod in mutuo aeſtimatio ſolum credita cenſeatur, atque hoc modo non videri creditorem damnum pati, ſi ipſi nummi eiusdem valoris, in deteriori quamlibet materia reſtituantur. Verum tamen in dubium vocari nequit, ipſius quoque materiae rationem habendam eſſe, quum illa conſtituat fundamentum & cauſam valoris: valor vero pro diuerſitate materiae eſt diuerſus, ac in republica probe conſtituta inter valorem & materiam iuſta omnino debet eſſe proportio, adeo, vt materia tanti aeſtimanda ſit, quanti alias valeret, publico ſigno non impreſſo, hinc etiam in *L. 1. C. de veter. numiſ. pot.* haec duo pro forma nummorum eſſentiali requiruntur, nempe proba materia, & debitum pondus, ex quo colligitur, ſolum valorem absque materiae bonitate & legitimo pondere pecuniae ſubſtantiam minime efficere, vid. COLER. *de proc. exec. part. 1. cap. 10. num. 8.*

§. XI.

§. XI.

Quotiescunque vero contingit mutatio monetae in bonitate extrinſeca, moneta eſt ſoluenda in ea bonitate extrinſeca atque valore, qui fuit tempore contractus, ita, vt, ſi iſte adcreuerit, debitor detrahere poſſit incrementum, quod aeſtimationi intra tempus ſolutionis adceſſit, ſin quantitatis monetae decrementum factum fuerit, debitor ſupplere tenetur illum valorem, qui tempore contractus in vſu erat, namque conſtat, in mutuo transferri dominium, atqui dominus omne periculum & emolumentum rei ſuae ſentit, quae ſententia, in iudicio quoque camerali recepta eſt, vid. GAIL. *lib. 2. obſ. 73. num. 3.*

§. XII.

Quum vero vſurae ſint acceſſio ſortis & principalis debiti, eo demque iure cenſeantur, hinc non minus vſurae ac ipſa ſors ſolui debent ſecundum monetae bonitatem & valorem, qui erat tempore contractus. Equidem ANT. FABER in *Cod. lib. 8. tit. 29. defin. 45.* huic ſententiae contradicit, propterea quod metuenda ſit litium multiplicatio,

catio, si in singula tempora & pene momenta, quibus incipiunt vsurae deberi, spectari oporteret. Enim vero ob multitudinem litium a legum & iustitiae tramite non est recedendum, quamuis omni, qua fieri potest, diligentia enitendum sit, vt lites legitimo modo componantur, id quod melius fieri non potest, quam si respectus habetur ad bonitatem monetae quae tempore contractus exstitit, secundum quam de valore & aestimatione mutatae monetae quouis tempore facili negotio iudicandum erit. Quod si vero tempus contractus in soluendis vsuris non adtenderetur, facile contingeret, vt de semissibus vsuris aut quincuncibus, trientes fierent, quod tamen vtique aequitati immo & legibus positiuis foret contrarium si stipulatio aut pactum de certa vsurarum quantitate praestandarum interuenerit.

§. XIII.

Hac tenus quantum instituti ratio permisit, probaui, diminuta & aucta moneta tempus contractus respici, ac debitorem ferre debere commodum & incommodum e mutatione mo-

monetae dimanans; iam erit quoque inquirendum, vtrum debitor ſoluere poſſit pecuniam poſt tempus contractus reprobatam, atque ita illius ſolutione a debito liberetur? Quum autem propemodum omnes conſentiant, debitorem in moneta reprobata ſolutionem praeſtare non poſſe, nihilominus tamen, qui Gloſſae in *L. 5. D. d. R. C.* ſubſcribunt, hoc ſic reſtringunt, vt ſolummodo tunc obtineat, quando pecunia ideo eſt reprobata, quod minoris ponderis facta, & bonitas intrinſeca etiam mutata ſit, concedunt vero, debitorem reprobatam pecuniam ſoluentem liberari, ſi quidem ob aliam cauſam quae non ex bonitate pecuniae intrinſeca prouenit, pecunia ſit reprobata. Sed hanc diſtinctionem defendi non poſſe, exinde adparet, quod creditor nunquam teneatur ad recipiendam ſolutionem in pecunia reprobata, ſed ei ſoluenda ſit aeſtimatio pecuniae reprobatae, quae tempore fuit contractus, quod euidenter innuit *l. 24. §. 1. D de pignorat. act.* cuius verba huc tranſcribi merentur: „*Qui reprobos nummos ſoluit credi-* „*tori, an habeat pignoratitiam actionem, quaſi*

ſoluta

„*ſoluta pecunia, quaeritur? Et conſtat neque pignoratitia eum agere, neque liberari poſſe: quia reproba pecunia non liberat ſoluentem, reprobis videlicet nummis reddendis.*

§. XIV.

Aliud pro alio inuito creditori ſolui non poſſe, probat *l. 2. §. 1. D. d. R. C.* ita vt pro pecunia in ſolutum creditor nolens nomen debitoris ſui ſuſcipere non teneatur, *l. 16. C. d. ſolut.* ſicuti vero nulla fere datur regula, quae exceptionem non admittat, ita & circa monetae reſtitutionem ſe res habet. Supra euictum eſt, reſtitutionem eſſe faciendam in eadem bonitate hoc tamen temperamentum recipit in caſu, quo ſpecies debita amplius non reperitur, quae tempore erat contractus, vbi ſufficit ab illo aeſtimationem creditori praeſtari, *arg. l. 14 §. vlt. D. de legat. 3.* Nam ad impoſſibilia nemo obligatur, quodſi igitur in poteſtate debitoris non eſt, rem eiusdem bonitatis reſtituere, ceſſare debet diſpoſitio legum, quae ipſum adigat ad reſtitutionem faciendam ſecundum tempus contractus, teſte GAIL. *lib. 2. obſ. 73. num. 8.*

§. XV.

§. XV.

Idem etiam ſtatuendum eſt eo caſu, quo moneta antiqua quidem adhuc exſtat, ſed non niſi maximis & immenſis ſumtibus comparari poteſt, vbi creditor vtique cogi poterit ad aliam ſpeciem, tametſi non eiusdem bonitatis ſit, accipiendam, quoniam alias creditor plus acciperet, quam reuera debitori mutuo dediſſet. Compar. PRVCMANN. *Vol. 2. Conſil. 12. num. 17.*

§. XVI.

Eo vero caſu, quo debitor accepit a creditore pecuniam reprobatam, atque hanc vt probam expendit, *wenn er es als ſchwer Geld wieder an den Mann gebracht*, debitor monetam probam reſtituere debet, namque tum non eſt ſpectandum tempus contractus, ſed potius tempus ſolutionis, quam ſententiam iuri noſtro optime conuenire, dubio caret, quandoquidem debitor non habet, de quo conqueratur, quum non poſſit cum detrimento creditoris lucrum capere, quod vero omnino fieret, ſi tempus contractus adtenderetur. Idcirco ſi creditor obiiciat debitori, ſe

 pe-

pecuniam reprobam, pro bona expendisse, ad illud probandum adstringendus erit, adfirmanti enim incumbit probatio; aliud vero obtinere, si satis notorium sit, debitorem reprobam pecuniam, vt bonam expendisse, inde liquet quod notoria ea non indigeant, atque hoc modo responderunt Scabini Ienenses, apud RICHTERVM *decis. 72. num. 23.* his verbis:

Daß Beklagter das libellirte Capital *der in anno 1621. am 23. Decembr. an 400. Gülden, beneben denen bishero aufgeschwollenen Zinsen, zwar mit ietzigen guten Sorten, iedoch allein dem Werth nach, was dieselben zur Zeit des* Contracts *gegolten, Klägern abzustatten schuldig, er könte und möchte denn, wie zu Recht erheblich, darthun und beweisen, daß Beklagter die empfangne Summe vollständig, und als schwer Geld vvieder an den Mann bracht, auf solchem Fall vvürde ihm die Bezahlung an ietziger gänger und guter Müntze nicht unbillig auferleget. V. R. W.*

§. XVII.

§. XVII.

Pariter debitor neque lucrum neque damnum fert illo caſu, quo quantitas ſiue ſumma, non item certa ac determinata ſpecies monetae debetur. Namque ſi ſpecies quaedam nummorum inaeſtimatae non adiecto valore vt corpora in obligationem deducantur, i. e. *vvann der* Creditor *dem* Debitori *eine gevviſſe Anzahl Thaler Stück vor Stück geliehen, und der* Debitor *ſich verpflichtet, daſs er auch ſolche* eadem ſpecie, *vvie ſie ihm geliehen, Stück vor Stück gerechnet, vviederum bezahlen vvolle*, ſecundum hanc conuentionem ſolutio fieri debet, non adtento vtrum illa corpora incrementum vel decrementum ceperint. Lex enim contractus operatur, vt eadem corpora in ſpecie reſtituantur, ſiquidem tali caſu, quo certa corpora mutuo ſunt data, nulla valoris aucti vel diminuti habetur ratio, quum ſatis certum ſit, pactis contrahentium de modo & qualitate faciendae ſolutionis omnino inhaerendum, & legem, quam quis dixit, ſeruandam eſſe.

§. XVIII.

Sed si summa & quantitas debetur, vel quando valor adiectus, & species aestimato data est, tunc solutio fieri debet in ea moneta; quae tempore solutionis in vsu est, & bonitas intrinseca respectu temporis contractus non consideratur, MENOCH. *conf. 49. num. 14.* add. TVSCH. *tom. 5. pract. conclus. lit. m. conclus. 346. num. 6.* quod e. g. contingit, *vvann einer Thaler* in specie *zu bezahlen sich zvvar verschrieben, aber in der Verschreibung einen gevvissen* valorem *dabey benennet hat, als den Thaler zu 24. Groschen, den Groschen zu 12. Pfennigen.* Obiicere quidem hic quis posset, naturam mutui postulare, vt tantum reddatur, quantum acceptum, facta reductione monetae deterioris ad meliorem, ac per consequens hanc conuentionem esse iniquam. Enimuero vtut de natura mutui sit, vt res credita in eadem quantitate & qualitate restituatur, exinde tamen non sequitur, vt in aestimatione pecuniae, quae non in obligatione, sed in arbitrio soluentis est, tempus contractus inspiciendum sit, sed sufficit rem petitam, si exstet, vel ipsam aestimatio-

ctionem ſecundum tempus ſolutionis praeſtari, neque iniqui quid continet haec conuentio, quum incertum ſit, vtrum lucrum vel incommodum debitor inde ſit ſenſurus. Quanqum igitur alioqui mutato monetarum valore, tempus contractus conſiderandum eſt, attamen ob dicti pacti adiectionem ſecundum valorem monetae currentis tempore ſolutionis nummorum debitorum ſolutionem praeciſe faciendam eſſe, ideo extra omnem controuerſiam poſitum puto, quod fauori pro ſe introducto renunciare, & vnicuique licitum ſit contemnere, quae pro ſe introducta ſunt. Huc adcedit, quod etiam in contractu locationis conductionis conductor penſionem non obligatus ſit ſoluere, niſi ſecundum valorem temporis ſolutionis. BARTOLVS *in l. 16. C. de vſuris.*

§. XIX.

Quando creditor debitorem vel interpellauit, vel in iudicio contra eum ſententiam ad ſoluendum & exſequutionem faciendam impetrauit, tunc licet mutuum non in eadem bonitate monetae quae deinceps tempore ſolutionis eſt, reſtituatur, ſed pecunia currens &

vſualis reddatur, nihilominus debitor hoc modo liberatur, ſibique imputare debet creditor, quod ita debitum exegerit, per hanc exactionem enim effecit, vt ſi interim moneta diminuta fuerit, tempus ſolutionis non reſpiciatur, vtut id pacto additum, quum ipſe creditor conuentioni non ſteterit, alias enim duplici onere grauaretur debitor, dum pecuniam multis moleſtiis neceſſum haberet conquirere, & deinde damnum deterioratae monetae ferre, factum vero cuique ſuum, non aduerſario nocere debet, add. RICHTER *deciſ. 72. num. 28.*

§. XX.

Quanquam regulariter, niſi aliter conuentum ſit, in mutuo reſtituendo tempus contractus adtenditur, hoc tamen exceptionem admittit eo caſu, quo inter contrahentes expreſſe conuentum, vt tempus ſolutionis norma mutui reſtituendi ſit, etenim contra pactum ſuum nemini venire licet, quin potius pacta contractibus adiecta in forma ſpecifica ſunt adimplenda.

§. XXI.

§. XXI.

Quoties debitor eſt in mora ſoluendi, atque moneta ex tempore morae aucta vel imminuta, debitor eam ſoluere compellitur ſecundum aeſtimationem quanti plurimi valuit a tempore morae, ita, vt neque tempus ſolutioni deſtinatum, neque tempus contractus conſideretur, habet enim quod ſibi imputet debitor, quod non praeſtituto tempore debitum reddiderit, quum creditor non obligatus ſit, ad damnum ex mora debitoris contingens ferendum, ſed noceret vtique mora creditori, quando tempus ſolutionis, quod ex pacto adtendi debebat, in reſtituendo debito, debitor praeterlabi paſſus eſt, atque ex eo tempore, quo mora facta valor pecuniae decreuit. Namque mora contrahitur, quum quis congruo loco & tempore interpellatus, haud ſoluit, *l. 32. D. de vſuris*, at non intelligitur vlla fieri mora, vbi nulla petitio eſt, *l. 88. D. d. R. I.* econtrario vbi interpellatio creditoris antegreſſa eſt, & debitor moras nectit in praeſtanda definito tempore ſolutione, periculum ſemper ad moroſum ſpectat. Quod ſi vero apud debito-

rem

rem non ſteterit, quo minus interpellatus ſolutionem dicto tempore praeſtaret, eo caſu eum ab omni culpa & mora immunem pronunciari oportet. CARPZOV. *P.I.C.16. D.17. n. 6.*

§. XXII.

Vbi vero debitor ex pacto ſe ad mutuum in certa ac determinata moneta, vel eius valore, ſoluendum obſtrinxit, nec ad tempus contractus, nec ſolutionis reſpicitur, debitori quippe nocet mora in facienda ſolutione commiſſa. RICHTER. *Dec. 73. in fin.*

§. XXIII.

Quamuis autem ex natura mutui ſemper in praeſtanda ſolutione tempus contractus ſpectari debeat, & interdum vi pacti ad tempus ſolutionis reſpiciatur, accidere tamen poteſt, vt volenti & conſentienti creditori ſolutio praeſtetur in deteriori moneta, quam quae ex lege pacti reddenda fuiſſet, quoniam explorati iuris eſt, volenti & conſentienti damnum & iniuriam non inferri. Vnde ſi ſolutio in viliori moneta a creditore accepta eſt, augmenti

ti petitio creditori nulla ſuper erit, etſi antea ad iſtiusmodi ſolutionem accipiendam de iure cogi non poterat. In alia omnia vero eſt eundum, quando creditor cum proteſtatione ſolutionem in moneta viliori accepit; proteſtatio enim interueniens conſeruat ius proteſtantis, nec conſenſiſſe dici poteſt, qui proteſtatione adhibita ſibi vigilauit, interim proteſtatio in continenti debet eſſe adiecta, ex interuallo interpoſita neutiquam prodeſt, nec retrotrahitur ad tempus diſpoſitionis, quando agitur de praeiudicio tertii, cui ius fuit quaeſitum, CARPZ. *P. 2. c. 10. D. 22. n 7.*

§. XXIV.

Quoniam igitur in reſtitutione mutui, quando moneta mutata eſt, innumerae ferme controuerſiae oriri ſolent, atque ſupra oſtenſum eſt, eo caſu, quo certi nummi aeſtimato ſiue *Stück vor Stück* in mutuum dati ſunt, omnem circa monetam mutatam controuerſiam euaneſcere, cautius omnino faciunt contrahentes, ſi certam aeſtimationem cuiuis thalero vel ducato, qua reſtitutio fieri debeat, addunt, e. g. *daſs er 1000. Thaler* in ſpecie, *vvie*

 die-

dieselbe in banco *gültig, den Thaler zu 24. Silber-Groschen, den Groschen zu 12. Meißnischen Pfenningen gerechnet, empfangen, und dergestalt wieder restituiren wolle,* vid. STRYCK. *Caut. Contr. Sect. 2. cap. 1. §. 21.* Et quamuis alias in obligatione alternatiua, puta, si conuentum ut aurei vel thaleri restituantur, aut eorum æstimatio conuenta soluatur, in potestate debitoris sit, vel thaleros, vel aureos restituere, vel conuentam æstimationem præstare; id tamen non est extendendum ad eum casum, quo æstimatio non taxationis, sed tantum demonstrationis causâ adiecta, ideoque, si in instrumento scriptum sit, solui debere aureos vel imperiales mutuo datos, conficientes tot vel tot florenos, solutio non nisi in aureis vel thaleris integris fieri debet, & florenorum expressio pro non adiecta habetur, COTHMAN *vol. 1. resp. 34. num. 329. & 330.* Itaque si certum quid in obligatione expressum, huic postea in restitutione standum est, STRUV. *Exerc. 16. th. 34.* dummodo non concurrat usuraria prauitas, vel debitor pecuniam minoris valoris non sine maximo suo incommodo expenderit.

§. XXV.

§. XXV.

Quod ſi vero ſecus partibus placuerit opera a debitore danda, ut reſtituere ipſe nummos valeat tales, quales mutuo dati, eos enim accipere cogitur creditor, qualicunque monetae bonitate mutata, verum ſi non poſſunt reſtitui, totidem alii nummi ſoluendi ſunt, quanti expendi poſſet pecunia mutuo data, ſi in eadem bonitate adhuc ſupereſſet, ita e.g. *im Fall er ihm dergleichen Reichs-Thaler in* ſpecie *ins künftige nicht vvieder liefern könte, vvolte er ihm dieſelbe an guter gangbarer Münze dergeſtalt erſezen, vvie der Thaler zur zeit der Zahlung am höchſten könte ausgegeben vverden.* STRYCK *d. Tr. ſect. 2. cap. 1. §. 21.* hoc modo damnum creditor non ſentit, ad quod in diuerſo monetae genere reſtituendo reſpiciendum eſſe vult, *l. 99. de ſolut.* add. PVFFENDORF *I. N. & G. L. 5. c. 7. §. 6. ſqq.*

§. XXVI.

Nonſolum autem in mutuo, ſed in aliis quoque debitis ſubſequuta monetae mutatione tempus contractus ſpectatur, hoc accidit I) in anuuis præſtationibus, BERLICH

p. 2. Concl. 35. n. 43. cum annuae præſtationes ex natura principalis debiti, quale fuit ratione valoris tempore contractus, certum iuſtumque modum accipiant, qui citra creditoris, vel potius emtoris iniuriam nulla ratione imminui poteſt; haud dubie vero minus ſoluit, qui in minori & deteriori moneta ſoluit, *L. 3. D. d. R. C.* id quod adplicari nequit ad canonem emphyteuticum; huius enim augmentum nullum debetur, quoniam non tam pro modo iuſti reditus, quam potius in recognitionem dominii directi ſoluitur.

§. XXVII.

Valoris monetae, qui erat tempore ſubſidii praeſtiti II.) ratio habetur in ſucceſſionibus, vbi poſt mortem patris liberi dotem aliaue accepta conferre tenentur. Etenim in illis exſulat praeſumtio donationis, MENOCH. *lib. 3. praeſumt 30.* ratio vero ob quam non ſecundum praeſentem valorem pecuniae, ſed ſecundum monetae aeſtimationem, quae fuit tempore dotis datae, ac praeſtiti ſubſidii, collatio facienda ſit, in eo potiſſimum conſiſtit, quod hoc caſu collatio in contractum mutui incidat, liberique

berique ex mutuo pecuniam accepiſſe credantur quod patre praedefuncto reddere obligati ſunt, id quod requirit aequitas, quum aequalitas, vtpote praecipuus collationis finis, inter liberos maxime ſeruanda veniat.

§. XXVIII.

Similiter III.) ſi alicui a teſtatore in teſtamento legatum relictum, id in ea monetae bonitate ab herede exſoluendum erit, quae fuit tempore conditi teſtamenti, GAIL. *lib. 2. obſ. 73. num. 4.* Teſtator enim futurae mutationis monetae ignarus, non de alia moneta cogitaſſe cenſetur, quam de ea, quae tempore, quo legatum fecit, in vſu erat, & commerciis frequentabatur, quamuis non niſi a die mortis legatum debeatur; retrotrahitur enim debitum ad tempus conditi teſtamenti, eo modo, quo donatio mortis cauſa retrotrahitur ad tempus, quo facta; neque aliud in donationibus mortis cauſa locum habet, quod nempe in aeſtimando monetae augmento, non mortis, ſed donationis celebratae tempus ſit conſiderandum, idque ex eadem ratione, quae in le-

gato obtinet. Nihilofecius interdum euenit, vt ex verbis, vel voluntate teſtatoris in ſoluendo legato tempus mortis ſpectari debeat, qualis caſus eſt, in *L. 28. D. quando dies legat.* Quamobrem praecipue verba teſtatoris & legantis ſunt expendenda; nunquam enim a verborum vi & poteſtate temere recedere fas eſt, ſed regulariter in ſoluendo legato ſemper tempus conditi teſtamenti conſideratur, niſi forſitan voluntas teſtatoris diuerſum expoſcat.

§. XXIX.

Denique IV.) in venditionibus, aliisque contractibus. fieri debet ſolutio pretii ſecundum valorem, qui tempore contractus, non autem qui fuit tempore promiſſae ſolutionis ratio enim, quae in mutuo occurrit, quod videlicet creditor, nullum lucrum damnumue ex ſolutione ſibi facta ſentire ſed illud ipſum conſequi debeat, quod reuera debetur, & hic ſibi locum ob paritatem vindicabit. Vnde ſi venditor rem venditam tradiderit, ſolutione ad tempus certum dilata, emtor non erit audiendus, ſiquidem valore pecuniae aucto, neglecto tem-

tempore contractus, secundum valorem temporis praesentis pretium soluere velit, ne in odium venditoris retorqueatur, quod in fauorem emtoris de pretio fidem habuerit.

§. XXX.

Quamuis autem argumentum praesens ob sui vsum, quem in vita communi praebet, ex merito plenius excuti debuisset, temporis tamen rationem habiturus, in primis quum iustae circa illud exstent commentationes, vela contraho, coeptoque labori felicem impono

F I N E M.

FACVLTATIS JVRIDICÆ EX-DECANVS, CONR: WILHELMUS Strecker, JCtus,

PRÆFATÆ FACVLTATIS ET JVDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS ASSESSOR, PROFESSOR COD. PVBLICVS ORDINARIVS, CIVITATIS SYNDICVS ET CONSVL PRIMARIVS,

AD

AVDIENDAM LECTIONEM CVRSORIAM

ad L. venditor. 49. ff. de jud.

ET

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

AD DIEM XIII. JANVARII, MDCCXXXVIII.

LECTOREM BENEVOLVM

PERHVMANITER INVITAT.

ERFORDIÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.

Ma

FOrum eſt locus publicus, in quo jus dicitur, vel judicatur, hoc ſi tanquam commune conſideretur, ex quadruplici cauſa, nempe domicilii, rei ſitæ, contractus & delicti conſurgit, foro ſpeciali ſive privilegiato gloriantur varii, quos inter eminent perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ ſi conveniantur Reæ, judicantur in loco, in quo judices Eccleſiaſtici jus dicunt, potiſſimum ſi pulſentur actionibus perſonalibus aut criminalibus, quæ ſententia non minus antiquiſſima quam communiſſima eſt, atque eandem ex reverentia perſonarum Deo ſacratarum dudum agnovit virtute Magnus Imperator Conſtantinus, dum Cleriorum accuſatione ad ſe delata: *Vos*, inquiebat, *Dii eſtis, à vero Deo conſtituti: Ite & inter vos cauſſas veſtras diſcutite, quia dignum non eſt, ut judicemus Deos. Can. continua. 5. & Can. Sacerdotibus 41. XI. q. 1.* Cui ſententiæ nolumus detrahere, ſed ut idem privilegium famulis conductitiis, dietim, aut modico, aut longo & incerto tempore ſervientibus at-

tribuamus, nulla convincens movet ratio, & expressus textus hanc participationem privatorum clericorum famulis indulgens vix poterit inveniri, conf. *Barbosa ad Cap. 2. X. de for. comp. n. 10.* Imo quibusdam in locis ordinationes speciales non desunt, vi quarum Clericorum privatorum famuli in personalibus, judicio sæculari parere coguntur. In causis realibus Clerici judicem laicum agnoscere tenentur, uti communiter tradunt Civilistæ, quorum agmen ducit *Gail. 1. O. 37. n. 4. Mynsinger cent. 1. O. 22.* Quamvis contrà sentiant *Covarruv. pract. quæst. Cap. 31. n. 5. Engel. tit. de for. compet. n. 40. Weigel in diss. de proces. judic. Cap. 1. n. 22.* & alii, quibus tamen ipsa praxis reclamat. Itidem foro speciali jure privilegiato gaudent studiosi, qui in Universitate publica sunt immatriculati ac literis ibidem navant operam, adeoque Albo Universitatis non inserti, atque illi, qui posthabita librorum curâ, pro scholis aut Collegiis plateas & popinas frequentant, Academicis privilegiis indigni; neque dolendi sunt, si severas cujuscunque judicis manus sentiant. Speciale forum quoque militibus concessum est, quippe si in numerum militum, præstito juramento, rite sint recepti, alium in causis civilibus & criminalibus non sequuntur judicem, nisi Militarem, nec hi, nec studiosi, nec Clerici foro suo renunciare possunt, cum privilegium hoc illis non sit in singulari proprium & speciale, sed universo Ordini commune. Ex singularibus foris etiam est forum Austregarum, seu locus, in quo certorum Ordinum Imperii res controversæ in prima instantia juxta modum in Ordinationibus Imperii præscriptum, ad utilitatem eorum examinantur ac deciduntur, de quo foro

foro fusius *Schubbard. tr. de Austreg.* Quamvis igitur omnes modò nominati foro speciali ac privilegiato gaudeant, quibusdam tamen in casibus forum commune alterius judicis declinare haud possunt, inter quos, contradicentibus licet quibusdam Canonistis & Moralistis, refertur, si persona ratione fori privilegiata, tutoris, Curatoris, sequestri vel depositarii officium ex commissione judicis sæcularis susceperit, tum coram eodem in causa sui officii rectè convenitur, quia tali in casu non attenditur persona Clerici, studiosi aut militis, sed eorum quorum nomine convenitur *Gail. 1. O. 37. n. 7.* Item in causis feudalibus cessat privilegium fori, cum in his natura causæ personam ad se trahat, & causæ feudales ex antiquissima consuetudine speciales semper habuerunt judices, eaque conditione feuda conferuntur Vasallis, ut illorum ratione coram judice feudali respondeant, *Gonzalez in Cap. 5. X. de jud. n. 4.* Idque indeterminatim sive agatur de possessione sive de proprietate, sive ex crimine ad privationem feudi, modò hoc ultimo casu delictum sit merè feudale, hoc est, solo jure feudali prohibitum, veluti si Vasallus periculum domino non denunciet &c. Sin verò delictum non sit merè feudale, sed commune, hoc est jure communi prohibitum, habens tamen ex jure feudali privationem feudi annexam, uti si Vasallus in crimen proditionis incidat, parricidium committat &c. Tunc probabilius est, domino directo notionem de crimine non competere *Fagnan in Cap. 5. X. de jud. n. 29.* ulterius privilegium fori opponi non potest, si venditori alioquin ratione fori privilegiato ab emptore ad evictionem præstandam lis denuncie-

)(3 tur

tur; negant quidem comparere tenere privilegiatum coram judice non suo *Marta p. 4 cent. 1. caus. 34. Ranbeck diss. 2. C. 2. contr. 2. n. 2.* ex ratione, quod privilegiatus consentire nequeat in judicem non suum. *Cap. 12. & 18. X. de for. compet.* deberet autem consentire eo ipso, si ab emptore citaretur ad defensionem causæ, sub prætextu, quod teneretur ad evictionem; Sed verum quidem est, quod clerici aliique privilegiati consentire non possint in judicem non suum, quando sunt Rei conventi, secus est, si solummodo sint Assistentes aut defensores, atque illa litis denunciatio non fit actoritate judicis, sed privata emptoris potestate eo effectu, ut periculum litis in Venditorem transferat, non ut venditorem in lite substituat; dein haud obscurè hæc sententia probatur ex *L. 49. pr. ff. de jud.* ubi Paulus respondet, *venditorem*, cui lis in causa evictionis denunciata est, *emptoris judicem sequi solere*, quin privilegium sui judicis obmovere queat, quam legem publicè ex cathedra fusius explicabit

NOBILIS ET CLARISSIMVS

DOMINVS

ABRAHAMVS GOTTLOB TZSCHIRNERVS

de cujus vitæ ac studiorum curriculo sequentia nobis innotuerunt. Mundum hunc is ingressus an. MDCCXII. mense Augusto in celeberrima civitate Lipsiensi. Patrem habuit JOANNEM GOTTLOB TSCHIRNERVM, supremæ

fupremæ curiæ Provincialis Actuatium primarium, qui ante annum, & quod excurrit, diem obiit fupremum. Matrem adhuc colit MARIAM Reginam è gente Sipfiana oriundam. Optimorum horum parentum prima cura fuit, ut cum doctrina christiana præstantiſſimarum artium liberalium ſtudiis conſecraretur, ſimulque in literis & moribus optimè proficeret. Traditus hunc in finem in tenera ſtatim ætate fideliſſimæ informationi Dominorum SEYFERTI & RIDELII, adultior factus ſcholam frequentavit Nicolaitanam, in qua optimos ſortitus præceptores, CRELLIVM puta, DRESLERVM itemque. ORTLOBIVM Exacto quinquennio ſub Rectore tum temporis magnifico D. IO. SCHMIDIO nomen albo univerſitatis patriæ dedit. Primum omnium Philoſophiæ, docente eam D. CORTIO, operam navavit, ſimiliter humanitatis ſtudium, quod vocant, duce excellentiſſimo P. P. KAPPIO privatiſſime imbibit. Animum dehinc adplicuit ad juris prudentiam, in qua veneratur præceptores præter alios inprimis Illuſtr. GEORGIVM GEBAVERVM, Antecesſorem hodie Juris primarium in academia Gœttingenſi, ANDREAM FLORENTEM RIVINVM, nec non paullo ante memoratum D. CORTIVM. Abſolutis proinde ſtudiis, ut, quos & quales eorum fecerit profectus, oſtenderet, ad noſtram ſeſe contulit Univerſitatem, aperuit Ordini noſtro, ſe ſpirare ad honores academicos, petiitque ad examen Candidatorum rigoroſum admitti. Honeſtæ petitioni annuimus, atque textus ex utroque jure enodandos ei communicavimus, Quos eruditè enucleavit, atque ad quæſtiones propoſitas ita reſpondit, ut omnino dignus judicaretur, qui ad

publica

publica quoque specimina reliqua, pro voto suo obtinendo, solenniter instituenda admitteretur. Proinde crastino die 13. Jan. lectionem cursoriam *ad præcit. L. 49. de ff. jud.* & dissertationem inauguralem

DE

EO QVOD JVSTVM EST
CIRCA
RESTITVTIONEM MVTVI
MVTATA MONETÆ
BONITATE

habebit. Ad quos Actus Magnificus Dn. Rector, & reliqui Universitatis Proceres & Studiosi officiose & amicè invitantur. Publ. sub Sigill. Facult. Jurid. d. XII. Jan. MDCC XXXVIII.

L.S.